Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1843
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner)



retineretur a propinquis et ab amicis ad supplicium redire ma-
luit quam fidem hosti datam fallere. At de bellicis quidem of-
ficiis satis dictum est. Meminerimus autem etiam aduer-
sus infimos iusticiam esse seruandam. Est autem infima
condicio et fortuna seruorum. Quibus non male precipiunt
qui ita iubent uti ut mercenariis et operam exigendam
et iustam prebendam.

Cum autem duobus modis i. aut vi aut fraude fiat in-
iuria, fraus quasi vulpecule uis leonis videtur
utrumque ab homine alienissimum. Sed fraus odio digna
maiore. Totius autem iniusticie nulla capitalior quam eorum
qui cum maxime fallunt id agunt ut viri boni esse vide-
antur. De iusticia satis dictum est. De beneficencia et liberalitate.

Deinceps ut erat propositum de beneficencia ac de libera-
litate dicatur quaquidem nihil est nature hominis
accomodatius, sed habet multas cauciones. Videndum
est primum ne obsit benignitas et his ipsis quibus benigne ui-
debitur fieri et ceteris. Deinde ne maior sit benigni-
tas quam facultates. Tum ut pro dignitate tribuatur. Id e-
ni est iusticie fundamentum, ad quod hec referenda sunt omnia.
Nam et qui gratificantur cupiam quod obsit. Illi cui prodes-
se uelle videantur non benefici neque liberales, sed perniciosi
et assentatores esse iudicandi sunt. Et qui aliis nocent ut
in alios liberales sint in eadem sint iniusticia ut si in sua-
rem aliena quertant. Sunt autem multi quidem cupidi